

PRAEFATIO



Si uerum est, quod nemo dubitat, homines uel ferocissimos, beneficio eloquentiae, duci subinde regique consuesse, tanto certe quisque melior futurus est Orator, quanto sagacius naturam hominis perspectam habet atque exploratam. Ex ea re optimi quique, Graeciae Latinaeque, Oratores, indagandae hominum indolis perquam dediti, commemorantur. Periclem enim, de aliis ut taceamus, ad intelligendum hominis ingenium, Cicero scribit, naturales scientias diligenter industrieque didicisse. Ipse autem Cicero quam semper humanae naturae conuenienter dixerit, orationes eius, ad memoriam nostram conseruatae, non obscure loquuntur. Qua de causa aut magnopere fallimur, aut operam perdituri non uidemur, si de hac ipsa eloquentia, quae ex hominis notitia ducitur, ex instituto quaedam commentemur, in eaque disputatione ita nos geramus, ut, quid nobis hic uelimus, summum primum exponamus, deinde rem omnem, luculento Tertulli Oratoris exemplo, comprobemus.